



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Sectio V. De circumstantiis & accidentibus, comitantibus, vel  
consequentibus Electionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. XI.

De pena gravantis eos, qui recusant certam Personam eligere, ad petitionem illius.

Qui injusto gravamine vexant Clericos, aut alias personas Ecclesiasticas jus habentes eligendi Prælatum Ecclesiasticum, quod eum non elegerint, pro quo eligendo rogati fuerant (spoliando v.g. eos rebus suis, vel alia sibi de jure debita impediendo, auferendo &c. vel aliter persequendo, Personas etiam sanguine illis conjunctas usq; ad quartum gradum) aut mandant taliter vexari, ipso facto sententiam excommunicationis incurunt, ut habetur in *c. sciant cuncti* 12. *h. r. in 6. juncta Gloss. V. alios, & V. consanguineos*. Quam Excommunicationem communiter AA. extendunt etiam ad eos, qui Clericos, aut personas Ecclesiasticas taliter injustè vexant, quod non præsentent, postulent, instituant, aut confirmet eum, pro quo rogati fuerunt, quamvis enim textus tantum loquatur, de cogentibus injustè eligentes, omnimodò tamen rationis identitas hanc constitutionem penalem quidem, non tamen profus odiosam, sed favorabilem Ecclesiæ libertati, vult dicto modo extendi; non quidem ad eos, qui Laicos dicto modo vexant, & cogunt, sed qui Clericos, aut Personas Ecclesiasticas dicto modo vexant, aut cogunt, de quibus tantum in *relat. c.* fit mentio.

## SECTIO V.

De circumstantiis & accidentibus, comitantibus vel consequentibus Electionem.

## §. I.

De loco & tempore Electionis, & penam non eligentium intra tempus à jure statutum.

Electio fieri debet ab electoribus in uno loco simul congregatis *c. cum terra. 14. h. r.* (cum sit actus Collegialis) & quidem de die, ad multas fraudes cavendas juxta *Gloss. in c. unicum. ut Ead. benef. &c. V. occulta*; & quamvis Episcopi electio fieri deberet juxta Canonicas Sanctiones in Ecclesia Cathedrali, sive intra illius ambitum, in choro Ecclesiæ, vel in Capitulo, vel alio honesto conclavi, juxta consuetudinem talis loci, si tamen Capitulares ex justa causa in tali loco in ordine ad electionem celebrandam convenire non possint, poterit ea celebrari etiam extra propriam Ecclesiam, quo major pars Capitularium, vel si periculum sit in mora, quo minor etiam pars Capitularium convenit, prout varia jura docent, & licet etiam propter solam majorem commoditatem, extra propriam Ecclesiam fieri possit valida electio, debent tamen in illo casu ad talem locum, electionis causâ, convenire duæ partes Capitularium.

Ad tempus, quod attinet, intra quod novi Prælati fieri debet electio, statutum in *c. ne pro defectu 41. h. r.* ut ultra tres menses à die cognitæ vacationis computandos non differatur Episcoporum aut Prælatorum Regularium, quorum morte viduatæ censentur tales Ecclesiæ, electio, ne scilicet ex mora longiore patiatur Ecclesia (statuente jure brevius tempus ad horum electionem, quam ad aliorum inferiorum electionem, aut præsentationem

nem &c. ob periculum, quod subesse potest, si longiore tempore tales Ecclesie vacant) ita tamen, ut neque cum hoc tempore ipsorum jus eligendi expiret, si intra illud eligere non potuerunt, & nullam negligentiam commiserunt; aut si electio effectum sortita non sit, quia electus v. g. consentire noluit, vel juri suo, postquam consensit, ante confirmationem tamen renuntiavit &c. quibus in casibus ad novam electionem faciendam, trium iterum mensium spatium, electoribus conceditur ad eligendum, modò nihil in fraudem factum sit à Capitularibus (uti habetur in *c. si electio* 26. *h. t. in 6. juncta glossa V. fraudulenter*) & non tantum jure devolutionis, sed proprio jure potestas eligendi ad eos pertineat: hoc tamen tempus ita à jure concessum est eligentibus, ut ubi periculum in mora est, superior Prælatus, cui Capitulum tale subest, tempus constringere possit, quod Pontifici etiam concessum est extra casum necessitatis, si velit ex plenitudine suæ potestatis agere circa hanc, de jure quidem communi, determinatam materiam, ipsius tamen potestati absolute subjectam.

Quòd si tamen per negligentiam, seu moram culpabilem non eligant, intra tempus à jure præscriptum Capitulares, sunt ipso jure privati, pro ea vice jure eligendi (ut paniantur in eo, in quo negligentes fuerunt) & providendi pro ea vice potestas ad eum superiorem immediate devolvitur, à quo eligendus confirmari deberet, uti sumitur ex *c. cum dilectus* 12. *de concessione præbende* & ex *c. ut ne pro defectu*, prout pluribus infra dicetur.

## §. II.

De Electione intimanda Electo, ejusque consensu requirendo, & exhibendo.

**E**lectione celebratâ, debent electores, quàm primùm commodè poterunt, electo electionem præsentare, ejus consensum petere, quem hic etiam infra mensem, à tempore præsentationis, aut notitiæ habitæ de sui electione *c. cupientes* 16. *h. t. in 6.* computandum, præstare debet, si electionem acceptare velit, & sui juris sit; ita ut si absque justo impedimento diutius consensum distulerit, ipso facto privatus sit jure, quod illi ex electione competeat, prout statuitur in *c. quam sit* 6. *h. t. in 6.* tum ut ne per diuturnam moram, & vacationem Ecclesia patiatur; tum ut ipsi electo commodum etiam tempus conveniat, dispiciendi, num electionem acceptare velit. Quòd si tamen electus sui juris non sit, quod fieret, si regularis v. g. eligeretur in Episcopum, vel Prælatum extraneæ Ecclesie, licentiâ ab ejus superiore ab electoribus, quâ fieri potest celeritate, peti, ac obtineri prius debet, quàm mensis ad deliberandum de jure concessus, ipsis currere incipiat, tum ut ne superiori ejus invito hic subtrahatur, tum ut ipsi Religioso etiam consultum sit, per tempus competens, ad deliberandum post obtentam licentiâ.

## SECTIO